Pholades marini cardine ſeu pileolo cellulato. Meer-Spitz-Müſchlen mitgelöcherter Höche, oder Hütlein.

Sunt Conchæ marinæ æquivalves inæquilateræ leviter umbonatæ ſtructurâ, et ſtriis pe-
culiaribus ex uno cardinis latere admodum elongatæ, et per harmoniam unitæ, ac paulatim
anguſtatæ, et demum in extremitate ſubrotundatæ, ex altero verò cardinis latere breviſſimæ
exiſtunt, et in acumen tantillum obtuſum deſinunt, ac quaſi ad plauſum apertæ ſunt: teſtâ car-
dinis externâ extrorſum replicatâ, et induas quaſi laminas oblongas incurvatas, unam ſcilicet
ſuperiorem, et alteram inferiorem, et quaſi pileolum efformantes, inter quas mediantibus ſeptu-
lis cellulæ quadratæ ſeu concamerationes efficiuntur, quarum ſupremæ tres, quatuor, aut quinque teſ-
tam omnimodè perforant, ac internè penetrant, parvulam cavitatem oblongam incurvatam, et ſtria-
tam ſtriis â ſeptulis cellulas conſtituentibus, atque apparentibus efformatis, ibi verſus interiorem par-
tem relinquentes. lamina inferior tantillum ultra cellulas ſupra concham porrigitur, et ad acu-
men extremitatis uſque producitur; ſuperior verò lamina paululùm longius ab acumine iam in teſ-
tam internam conchæ abſumitur. cardo inſuper ſtatim ſub cellulis quadratis, et teſtam replicatam
externè forantibus, internè inſtructus eſt apophyſi oblongâ rotundâ, et extrorſum incurvatâ in
maiore concha craſſiore, in minori tenuiore. integra concha externè ſtriata eſt ſtriis ab umbone
cardinis incipientibus, et ſtatim ſub teſtulâ replicatâ emergentibus, ê qua per totam concham
diſtribuuntur, tali tamen diſcrimine, ut, quæ â cardine ad oram propagantur, et lateri breviori
aperto, et acuminato proximiores ſunt, denſiores papilloſæ, et quaſi undatæ exiſtant, quo ma-
gis autem verſus latus longius et ſubrotundatum producuntur, eò magis etiam attenuen-
tur, donec tandem quaſi omnimodè oblitterentur; circulares ê contra ſeu faſciatæ ſtriæ, qui-
bus huiuſmodi conchæ donatæ ſunt, quò magis extremitati longiori ſeſe approximant, eô craſſi-
ores fiunt, proximiores autem lateri breviori graciliores evadunt, et ſuâ interſecatione
cum ſtriis longitudinalibus prædictas papillulas conſtituunt. interna conchæ facies alia-
rum concharum more lævis eſt, niſi quòd quandoque hinc inde ſtriæ longitudinales et ru-
gulæ ſtriarum circularium obſerventur.

Pholas marinus maior Anconitanus cardine, ſeu pileolo cellulato albicans, ſeu oſſei coloris
circa extremitatem ſubrotundati lateris pluribus balanis obſitus. Balanus. Bon. 23. et 24.
Concha altera longa. Rond. 23. Die andere lange Meer-Müſchel. Geſn. 332.

E parte cardinis cum ſuo pileolo repræſentatus.



E parte oræ re-
ſentatus, ut apertura cum acumi-
teris brevi-
oris appare-
præ-
ne la-
ant.